✠

TAURIMACHIA HISPALENSIS,

SIVE

TAURINORUM LUDORUM

HISPALIS

INSTAURATIO, ET DESCRIPTIO,

IN GRATIAM

BAETICAE JUVENTUTIS

LATIJS CARMINIBUS EXARATA,

ATQUE

HISPANICIS METRIS TRANSCRIPTA

A D. F. O. ET M.

EX OPPIDO P.



Typis D. Didaci, & D. Josephi Codina, & Soc.
Cum permissu.
Hispali Anno à P. V. CIƆIƆCCXCIII.

In tenui labor, ast tenuis non gloria....
Virg. Geor. lib. 4.

Conveniunt nostris auribus ista magis.
Mart. lib. 4. Epig. 41.

TAURIMACHIAE HISPALENSIS

POEMATION.

Bella per Hispanos plusquam communia fines,
Cum saevis hominum Tauris certamina nempé,
Delicias nostrae, terrores oppidò gentis
Exterae, & Hesperiae simul oblectamen avitum,
Gymnadis, atque Lyrae gnarus sine compare canto.
Hispalis ast, quae festa diu interdicta Senatu
Taurorum doluit nullo solamine moesta
(Namque novem tauris caruit gemebunda per annos)
Nunc renovata videns circo, oblectamine laeta,
Insimul heroo toleret deducere plectro.
Gaudia tanta tulit celebris quoque Marchio *Ribas*
Baeticolis, clarus siquidem si semper avitis
Stemmatibus, Genio paritér generosus amico.
Altisona & quamvis dilecti metra Maronis
Calliope renuat citharae, vatemque recuset,
Taurinae minimè praxim á me subtrahet artis.
Utraque dexteritas, nulli concessa Poetae,
Post-

Postquam hederâ,& lauro forsàn mea tempora cingar,
Ad seros referet tandem mea pensa nepotes.
Vos , ò Pierides , colitis quae Baetis amoenas
Valde hilares oras , tantis & vatibus oestrum
Fertis abundè , ultro vati aspirate canenti
Nunc mihi,& optatum date vos superare laborem.
Tu quoque belligerae nutrix Tartessia prolis,
Cui dedit excelsum Hesperus,aut cognomen Iberus,
Natio, quae ingenijs meritò celebraris , & armis,
Annue conanti nostri diverbia Regni,
Non paribus pridém aedepol explanata Camoenis,
Et canere , & Nysae caput exornare corymbo.
Ægoceros vix Eois cum mergitur undis
Imbriferis, immitis mitescunt frigora Brumae
Horrida , cui subit & Zephyritidis ocyor aetas
Solis ad ingressum coelestis in ostia Tauri;
Tempus adest taurina quidem ad spectacula præstans.
Nec mora,nam *Ribas* Procerum comitante coronâ
Disponit quaecumque videt sint congrua , Baetis
Prisca iterum ut videat taurorum festa renasci.
Area , quae ruerat partím labefacta ruinis
Praeteritis , longè melior se extollit , & ultro
Vespasij monumenta manus renovata videntur,
Amphitheatralis Romanae & gloria pompae;
Namque peregrinos superare lubentèr anhelat,

Caesa-

Caesaribus quos Roma olim dedit, illa,triumphos.
Hispalis Herculeo dudúm benè condita Sceptro
Est paradigma alias inter praestantius Urbes,
Utpote quae est & equis,Taurisque uberrima miris,
Baetis & in ripis viget agmen equestre, pedestre,
Oppida quod cumulat Bellonae,& Martis alumnìs.
Inde dies signantur item, quorum impete pernix
Hesperios Fama in populos diffunditur, atque
Notitiâ gentes gratâ ferè concitat omnes.
Protinus exultant juvenes, puerique, senesque,
Matronae insignes, vetulae, pulchraeque puellae,
Et celeres peragrant turmatim ad moenia Martis.
Ecce dies optatus adest, umbrisque fugatis
Induerat rutilans croceos Aurora colores
Neglecto flavo Tithoni sponte cubili,
Copia cum splendens equitum festinat ad agrum,
Nomine vulgari qui nunc *Tablada* vocatur,
Omnibus hastili Tauros superare paratis,
Ipsos dum in circi tentant deferre bovile.
Exhilarat praeclara phalanx,cum pergit ad Urbém
Ducibus & bovibus, sed equorum foedere raris.
Procedunt sensim Tauros cingente cohorte,
Et suavi intendunt equites compescere gressus.
Bellipotens Gradîvus amat Junonis ob iram
Obstrepere, & pacem coetus turbare quietam.

Pro-

Prosilit extemplò taurus , médiosque per hostes
Irruit , & celeri cursu subducier optat.
Cursitat actútum en equitum numerosa caterva,
Aliferis & equis fugientem assumere tentat:
Qualiter alituum pernicibus aera pennis
Pervolitat quam multa cohors ad pulveris ictum
Nitrati,ambigua hác illae,sine & ordine oberrans.
Multiplices quamquàm nisu rapiuntur eodem,
Ultimus ecce hastâ taurum deturbat in agro
Quandoquidem,bovibusque simul tunc ponè redactis
Inflectunt equites taurum,atque accersere cogunt.
Denique ad optatam accedunt concorditèr Urbem,
Quae Spectatorum jam exuberat agmine denso.
Neve fugam capiant Tauri , tunc ocyùs illos
Accelerant equites, properos & claudere tendunt.
Area laetitiam reboat , cunctique loquntur
Taurorum specimen, feritatem,& caetera certant.
Conticeant veteris jam nunc Vinalia Romae,
Jupiter Aprilis videat nova ludrica nostri, &
Territus amandet Bacheia festa Quiritum.
Exclusis bovibus Taurus dimittitur unus
Millibus ad pláteampeditumque,equitumque refertam.
Ille ubi multisoni cernit monumenta duelli,
Inque vicem tantos homines, furit actus in omnes,
Huc, que illuc,rabidis revolubilis aestuat iris:
Pro-

Proterit hunc, agitatque illum, calcitrat hebentem,
Subripit atque alium furibundus cornibus hostem.
Hoc bellatores taurina in castra novelli
Sive Equites, Peditesve ineunt praeludia tauro,
Multigeno miserum feriunt & vulnere; tandem
Ultrici cedit quamquám imperterritus ensi.
Augurio populus grato praenunciat autem
Opportuna dehinc festa, inde & praepete passu
Ex amplo egreditur numerosa caterva theatro.
Interea propria, aut aliena negotia curat
Quicumque, impatiens rerum & fastidit earum.
Postea sub ter trinâ horâ irrequieta corona
Ad pláteam redit exultans, ubi forsàn amicos
Inveniunt placidè multi, quos tempore longo
Privarat socialis edax sors pignore nexus.
Praeteream, soboles Mirhrae, florente juventa
Egregios juvenes, fulgentis murice vestis
Insignes, Cyprij certè ornamenta decóris:
Neve Dionaeas referat mea Musa puellas
Magnífico ornatas cultu, gemmisque nitentes,
Quae Æthereo ad circum quasi dilabuntur ab Axî
Amphitheatralis voluti miracula pompae.
Dúm quivis aliquantisper spatiatur in isto
Spectaclo, monet hora omnes assidere gentes.
Bellica tunc Acies lituo crepitante Palaestram
In-

Ingreditur, Bellonae armis insignibus acer.
Principis Asturici dulcis reseratur imago
Gentibus, omnimodum populi resonare fragorem
Jucundi datur, & crepitat Mavortia turba.
Paulatim graditur Legio, pariterquè catervam
Ut sedeat cogit subitò imperiotior omnem,
Et reliquam gradibus segnem propulsat ab arce.
Indè citis itidem phaleratis undiquè mulis
Circumeunt pláteam aurigae, scuticisque furentes
Saepius ingeminant festinis verbera brutis,
Disceduntque. Themis prodit dehinc ecce Minister
Baetigeni moderator equi, cui plurimus ardor
Naribus inspirat geminis incendia, crura
Saepè inflectenti, plantisque ad omasa recurvis,
Militibus, famulisque retrò per compita fulgens,
Ut clavem ad Taurile ferat, concinnus oberrat.
Ecce animosa phalanx intrat peditumque, equitumque
In circum, Hispani si roboris inclytus usque
Protótypus, plausus paritèr pars maxima gentis.
Sunt equites Lopez, Parra, atque Ortega, Padilla;
Delgado, & Garces pedites, reliquusque maniplus.
Principis obsequio innixi, Procerum vel honori,
Fraxinea en equites minitantes spicula vibrant.
Isthmiaci juvenis non hic cum laude triumphum
Græcia commemoret, Lyciaeque trophæa Chimaeræ.
Sunt

Amphitrioniadae Cretensi gloria tauro
Sit procul húc : Marathon Cretaei sanguine tauri
Mutescat Theseo quondam domitore superbus;
Pugni ictu taurum, que Croton, perimente Milone;
Entelli ob taurum caesum quoque Fama silescat.
Primus ad horrisonas valvas accedit ephebus,
Inhiat, hastili & taurum contundere spectat.
Panditur interea limen, taurusque feroci
Percitus irarum stimulo , furiosus , & atrox,
Gnosiaca ut nervo strepitat contorta sagitta,
Irruit in pugilem validum , qui lancinat illum.
Abjicit , aequè & equum rigidis calcaribus urget.
Omnigeno gratatur ibi ipsa *alalágmate* ephebum
Turma, triumphantem meritis & honoribus ornat.
Advölat in taurum properans agitator acervum,
Fortior & jaculo rabidum minitatur acuto:
Ast taurus cautè sistit , non immemor herclè
Vulneris inflicti , manibus tunc scalpere terram,
Terrificis reboare forum mugitibus amplum
Callidus intendit, pavido & turbare timore;
Desidiam quandoque vafer speculatur , & indè
Supplicium, mortemque parat tunc cornibus ultor.
Athletes sensim retròcedit , neque tergum
Ad taurum vertit solers , cohibere paratus:
Dein spatium nactus subitò deflectit habenas,

Praepes ab insidijs tauri , laqueisque recedit.
Tertius en alibi taurum perquirit inertem
Cautus eques, variatque locum, atque irrumpere cogit
Sic taurum, qui forsan equum ferit improbus uná.
Quartus enim forti juvenis conamine taurum
Aggreditur juxta ignavum, invictusque lacessit,
Ast equus imbellis tauro minitante vacillat;
Dilacerat tunc taurus equi intestina timentis,
Incautum citus & pugilem prosternit arenae:
Approperant pedites, removent simul impete taurum,
Eripiunt hominem, celeresque pericula vitant.
Tunc lituus resonat, pedites cervicis in alto
Lanceolis taurum jucundi, & praepete cursu
Percutiunt crebrò, delusum & fraudibus angunt.
Sortibus innumeris tauri inter cornua ludunt,
Decipiunt, versantque dolos felicibus ausis,
Hispanae atque iterant pugiles sua *charmata* genti.
Ultima jam tauri exodio , nam buccina clangit,
Hora venit; cunctos movet usque tragoedia bruti.
Taurophonos forti pergit mucrone coruscus,
Atque sagam portans fallacem quaerere taurum.
Tunc gladiatorem circundat turba virorum,
Unusquisque ingens studet & vitare periclum.
Ad caput is Tauri pergit fortissimus , undè
Palliolo utrinque ac ipsum , crebròque lacessit,
De-

Debilitat, frangit vires, tollitque vigorem.
Instat luctator, circum vigilantia crescit
Excubiatorum, reliquorum augescit & horror.
Taurum jam fessum observans, irrumpit in illum
Luctator, gladioque ferit; tunc vulnere taurus
In mediam titubante gradu resupinus arenam
Concidit, alluvie & rubrâ succumbit morti.
Cedite Romani domitores, *cedite Graji.*
In varias sic ecce vices athleticus ordo
Mutatur, placet atque viris ita caedere tauros,
Artis opus certè majus, quam pectoris ardor.
Candidus hac olîm tauros occîdit inertes
Arte sagax; secus ante ipsos ceu fortè lacernam
Raptabat, taurosque irâ usque ignescere adegit:
Obtigit ast diris sibi cum contendere tauris,
Impavidus semel ipse illos non rarò lacernâ
Fallebat, miro perimens firmissimus ense.
Candide, te (ah!) melior nemo, atque industrior orbe
Adfuit; Ægides, Phoenix. taurina Lycaea,
Alcidesque tui renovant benè nominis umbram.
Parcat episodio lector, tam multa merenti
Siqua tuo dederim cineri, bone Candide, thura.
Subducto mulis tauro nova praelia gentes
Expectant placidae, tantisque vacare triumphis.
Cum proprium jam quisque locum sibi vendicat, ecce
Erum-

Erumpit subitó irarum caligine coecus
Taurus, nec pugiles cernit, fugitare peroptans.
(Assolet oppositos furia haec producere cassus)
Accelerant in taurum equites, verùm ille fugaci
Excors declinans saltu certare duellum
Transilit in sedes velocitèr; ecce Paloestra
Clamitat incassùm! miscentur cuncta tumultu,
Hic ruit, ille fugit, dolet is, lacrymatur & alter:
¡Horror inest cunctis, faciesque simillima mortis!
Innatat interea totidem inter corpora taurus,
Congeries hominum prohibet sed cornibus ictus.
Dejicitur posthac taurus, tamen ipse timore
Diffugit imbellis; quaerunt equitesque, pedestres
Multoties taurum, verum is certare recusans
Aufugit, & nulla est unquam revocabilis arte.
Exclámat Plátea, ut veniant stimulare molossi
Ignavum properi taurum; latratibus urgent
Ecce canes, jaculatur eos, & cornibus actos
Proculcat, caeditque simul, & in aera mittit
Ultor item taurus; verumtamen indè feroces,
Vulneribus neque vecordes, ex auribus utris
Dependentque canes laceri, taurusque labascit.
Tertius, in portas versis sed clunibus asper,
Exire insudat taurus, lassusque fatiscit;
Circuit iratus, forti & molimine migrat:

In-

Intuetur primò pedites, conatur in illos,
Et rapido flagrans cursu insectatur anhelos.
Accurrunt equites, redit, & cervice feroci
Deprimit indè unum taurus sed vulnere casso,
Nam Delgado hastâ taurum compescit atrocem
Sponte equitis,sed equus tauri malé cornua vitat,
Et miserè lacerus Fatis succumbit iniquis.
Alternant equites, taurum & fraenare laborant.
Utrinque impetitur, pugiles aequalitèr urget
Hydrophobus, duras truculentus & aggerat iras.
Occumbit demùm taurus miserabilis ense,
Vivet inoblita ast tantae feritatis imago.
¿Quid moror in reliquis? vario discrimine tauri
Succedunt bis deni manè, & vespere, at illos
Victrici superat lauro decorata juventus.
Pace, Iriarte, tuâ, quoque Villegate, tuâque
Aonidum libuit gratis sacrare viretis
Otia nostra quidem, &,quae vos dulcedine versus
Antea sublimes cecinistis, taurea festa,
Longé ego nunc sequor,& vestigia semper adorans
Vatis, & athletae rarâ novitate placebo.
At vos, ò Baetis Proceres, *Ribasque*, *Riosque*,
Tu, Comes, & décorant *Montis* quem *Lilia* tanti,
Qui totidèm nostrae tribuistis gaudia genti,
Parcite rurali vati, nam taurea bella

Non

Non cecini sublimi,equidem ut potuere, cothurno,
Hispalici vates; *mihi jussa capescere fas est*; (1)
Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas. (2)
Denique opellae autem, vatique indulgeat ultrò
Hispalis alma mihi,modulor dùm crusmatè hebeti,
Hispanis xenium tan delectabile, ludos
Taurorum, queis ipsa Urbes supereminet omnes;
Quos juvit pediti, aut equiti instaurare freqüenter
Sponte mihi, placido tauros agitare furentes,
Nixus equo *Carthusiaco* quot currere suevi,
Taurinâ parilis sonipes cui nullus in arte est.
Tandem orichalco humili gracilem cecinisse choraules
Ecphrasin haud timui peregrinus Phocidos oris.
Expeterem apprimè chari mihi labra Maronis,
Egregij, & valdè noti documenta magistri
Josèphi Daza, (ah!) mihi quo neque amicior alter,
Nec melior pláteis aderit pugnator, & agris;
Quippè fuit genio felix, certaminne princeps,
Splendore, & mirâ tum dexteritate coruscans,
Corde si Alexander, vi Alcides, pectore Caesar;
Ut meritis possem metris describere ludos
Taurorum, Hesperijs dederint quos littora Baetis:
Fes-

(1) Æneid. lib. 1.
(2) O. ex P. lib. 2.

Festa sed exuperent cum nostram talia mentem,
Usque aderit nostro merces satis ampla labori,
Obtulerim gaudens ultrò si hoc carmine nomen.

